

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
**DE ÆGRA
MOLALABORANTE,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

WILHELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ , IVLIACI , CLIVIÆ , MONTIVM ,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ , & reliqua ,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwarza /
MEDICINÆ DOCTORIS , COMITIS PALATINI CÆSAREI ,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI ,

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII ,
PATRONI , PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SVI , SVMMO OB-
SERVANTIÆ CVLTV ÆTATEM PROSEQVENDI ,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTO-
RALIA , MORE MAIORVM , RITE CONSEQVENDI ,

Ad d. Ianuar. Anno M DCC XIV.

Horisante- & pomeridianis ,

IN AVDITORIO MAIORI ,
publicæ eruditorum disquisitioni submissa

Dr. R. Küttner.

GOTTOBIO CHRISTIANO a LANCKISCH ,
ZITTAVIENSI LVSATO .

LENAE LITTERIS KREBSIANIS .

Obstetr.

17,22

Beflett 83%

VIRIS
Illiſtri, Magnificis, Generofis, Excel-
lentifimis, Consultifimis atque Pru-
dentifimis

DOMINIS { CONSVLIBVS,
SYNDICO,
PRÆTORIBVS,
SCABINIS,
SENATORIBVS,

Splendidifimæ Reipublicæ Zittauiensis
Præfidibus & Columinibus,

Patriæ Patribus dignitate meritisque
spectatifimis,


Patronis exquisitifimo animi cultu
prosequendis.

Salutis Juæ Amplificatoribus Maximis,

DISPV TATIONEM HANC ACADEMICAM

ſubiectifima mente dicat & consecrat

GOTTL. CHR. a LANCKISCH.



I. N. I.

PRÆFAMEN.

Non raræ sunt aberrationes naturæ in quo quis regno, quas nemo rectius obseruare potest, quam naturæ minister, medicus, si quando occurrant.

Enim uero cum inferuiat, & iuuet eandem pro virili, & rectum sit regula sui obliqui, in quotidiano illo officio toto die obseruare potest, quod & quando dentur monstra in medicina.

Non dicemus de monstris humanis, principaliter dictis, tum in conformatione partium, tum totius obviis, ab ideis peregrinis fabricam humanam interturbantibus: dantur & alia aberrationis exempla non tam deformia, quam informia.

Eminet inter hæc MOLA muliebris morbosa, aberrantis conceptionis seu intentatæ, seu frustratæ præcipuum exemplum.

Si Celsum consulamus l. i. procœm. videtur illam pro nouo morbo habuisse, cum ætate sua splendida

A 2

qua-

4 DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA
quædam persona ex naturalibus partibus carne pro-
lapsa & arente intra paukas horas exspirauerit.

Nos hac vice de ea acturi, satis nota morbi spe-
cie, & quidem in Consultationis recensione, diuinum
invocamus numen, ut prospere id eueniat!

Historia.

Foemina honesta XXXVI annorum, temperamenti sanguinei, constitutionis antehac laudabilis, exclusis partu primo laboriosissimo gemellis, & secundinis magno conamine extractis, secunda vice gravida filiam sexennem facili partu edit, ac biennio post tertium quoque partum fauente Lucina in lucem profert, etiamnum vitalem. Aliquot ab ultimo hoc partu exactis mensibus rursus tumorem in regione hypogastrica percipit, globi æmulum, qui auctis sensim triennii decursu incrementis nunc fœtus perfecti magnitudine, à pube versus umbilicum protensus, veluti molestissimum pondus miseram fatigat, durus, ad manus contactum mobilis, in latus illud, cui noctu fœmina incumbit, decumbens; supino vero decubitu dorso molestissime incumbens. Menses ex eo tempore parciores & inordinati, hinc plane cesserunt, phlogoses & angustiæ præcordiorum indies, nec raro lancinationes dolorificæ, in lumbis, pube, dorso, inua-
dunt.

dunt. Mammæ flaccidæ, & licet gliscere prius visæ, nullum tamen lac fundunt, sed liquorem saltim sero sum. Appetitus & functiones aliæ, vt & vires, & reliqua satis adhuc sibi constant.

Resolutio.



Ffectus, quo ægra laborat, est MOLA, quæ vnde cunque deriuetur, vti diuersimode id faciunt communiter, omnium optime dicitur quasi moles, hæc enim forma quasi est eiusdem. Ut rudit indigestaque moles dicitur alias, ita & in hac idem videoas; vt immota, & solo suo pondere, qualicunque demum gaudens, sic etiam hic. Quod si apud medicos vistatum alterum significatum lustremus, quo patella, genu commissuram cingens, audit, & illa similitudinem hanc confirmat.

Cum vero duo se expedienda offerant prius, quam pressius hanc definiamus, qualis sit, supponimus primo, quod sit moles a fœtu seu conceptu diuersa, ceteroqui alia primaria, alia secundaria. Illam vocamus, quæ citra fœtum, tanquam moles solitaria, seu sola, est & nominatur; hanc, quæ cum fœtu connascitur, vt nonnunquam fit.

Deinde notamus, dari omnino priorem istam, licet sint nonnulli, qui idem negant, nunquam extare rati molam, sine fœtu comite, id quod tamen omnium seculorum fide & experientia ratum est. Illud vero rarissimum, quod prævia mola, eaque per annos etiam aliquot præsente, conceptio fieri tamen queat, quod ante annos non ita multos in vrbe Vinariensi reuera contigit; vbi hinc fœtu edito, & matre tamen mor-

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
tua mola vera, plurium librarum pondere, inuenta est, quod pro impossibili habitum antea fuit.

Addi vero & hoc meretur, molam soli fœminæ homini propriam esse magis, & quidem coniugatæ, vel virum expertæ : virginibus vero, si sermo sit de mola proprie dicta, id minus competere, quod ipsum & de aliis cavitatibus corporis dixerimus. Non enim, nisi *άκυρως*, de quavis mole accipiendo materiale illud præternaturale, mola ventriculo tribuitur, ut a *Panarolo*; non polypus cordis ita dici potest, nisi eodem sensu, ut alia taceamus.

Hinc cum grano salis intelligendus est locus *Afranii*: ferme virgini excrescit uterus, tanquam grauidæ mulieri, molucrum vocatur; transit sine doloribus. Consultum & optimum videtur molæ originem deberi, quacunque demum occasione archeus ad eius conceptum loco veri disponatur, carne & fibris iuxta cum sanguine & sero in molem informem, carnosam, membranosam concedentibus & frustra impensis.

Sic placenta sine fœtu veram molam constituit, iuxta Kerckringium obf. 38. p. 81. siue omnino fœtus tenelli rudimentum exciderit, quoctunque casu, etiam nesciæ matri; siue analogice.

Præter hanc veram, & velut exquisitam, spuriæ vel minoris æstimii dantur & visæ sunt in praxi occurrentes quoque molæ. Talis est v.g. (1) *sanguinea*, quando sanguis, ordinarie euacuandus per menses, restitans in utero coit, hinc post tres vel quatuor menses, velut resipiscente archeo a suo errore, excernitur, magis vel minus largo pondere, & *αγρός magis*, instar abortus sui generis.

(2) *Vesicularis*, & serosa sic magis, quando, eiusdem conceptus falsi & abortiui quasi loco, vesicæ seu scroti & sculi

DE ÆGRA MOLA LABORANTE.

culi cuiusdam figura, excretionem & vicem parturitionis subit, quæ aperta serum, seu humorem aquosum, offert.

Talis etiam (3) est *ventosa*, seu *flatuosa*, quæ seorsim in virginibus quoque aliquando, & aliis comparet, abdomine turgido & inflato, vt facile pro grauidis habeantur, & tales tamen sint nequaquam, sed vel sensim, cura adhibita, disparet tumor insolitus, aliis signis fœtus plane non comparantibus, vel distentus remanet.

Nec negari potest, (4) a casu ab alto, & aliis lœsionibus, vt procidentia vteri vera in virginibus, olim impossibilis visa, inuenta est, ita & excrescentiam, molam & tumorem talem molarem, vt ita loqui liceat, vtut itidem spuriam in virgine dari posse, quale exemplum a casu ab alto refert *Tb. Bartolinus centur. 1. obs. 97. p. 156.* Tacemus aliunde repetenda, ab iis qui ex professo de his scripsere, plura, vt &, alias visas uno, alias diuerso numero, plures quasi vnas quoad massam, minores alias instar castaneæ, instar botri, penis & figuræ variæ, omnes vero informes.

Et hæc vel ideo delibanda fuere, vt pateat, non solum molam esse pro morbo habendam in hac ægra, sed etiam quali ex hisce laboret. Enimvero statuimus esse eandem veram & exquisitam, molem puta, seu tumorem, ad hoc enim genus referenda mola est, & pertinet.

Aedesse ergo molam patescit ex ESSENTIALITER INHÆRENTIBVS, siue signis pathognomicis, ab Hippocrate l. 1. de morb. mul. c. 97. t. 1. & seqq. & l. de sterilibus c. 20. t. 1. seqq. recensitis, tum communibus, vero fœtu fœtis familiaribus, tum propriis.

Communia sunt ἀληγωσις τὸ γαστρὶ ὥστε κυρός, ventris, tanquam vtero gerentis, impletio: vnde grauidas se putant a priori sic affectæ. 2. τὸ σόματος τὸν υπερέων σύμμυξις, 3. apb.

apb. 51. oris vteri connuentia, quæ ex diutina molæ retentione colligitur.

Propria accenset idem locis ante citatis. 1. ὁδὲν τὴν πατεῖ οὐκέτε), nibil in ventre mouetur, sed vel intempestive, vel modo plane diuerso; seu cum a priori conuenire videatur cum prægnantium notis, a posteriori, seu progressu dispar est. Cum enim foetus animatus in grauidis, circa medium gestationis tempus, animali motu gaudeat, eoque sensim incremento, hic nullus est.

2. γάλα ἐν τῷ τηροῦσιν δὲ ἐγγίνεται, lac in mammis nulum gignitur, sero crudo ac immaturo, post plane disparente, ob turbatam foetus nutritionis œconomiam, eo delato.

Addi potest 3. *sensus tumoris*, globum æmulantis, gracilis, ad ægræ situm proni, vnde nec hydropi vteri, nec scirrho, nec flatibus hic vnum locum esse colligitur. 4. *Situs tumoris* ac molis idem indicat: in vero enim foetu magis acuminatur umbilicus, non hypogastrium. 5. Certissimum omnium & infallibile signum est gestatio, naturalem iam quater transgressa terminum. 6. Maior symptomatum, quam in vero foetu molestia. 7. Tumor ad manus contactum mobilis est, quod in vero foetu vix deprehendas.

Concomitantia signa & symptomata POSTESSENTIALIA idem confirmant mensium nempe paucitas, & inordinatus, imo cessans plane fluxus, a frustrata sanguinis menstrualis digestione debita, perque foetum alias & secundinas distributione, potissimum ortum ducens: vnde Φλωγώσεις, lancingationes variæ, &, Cratonis verbis, acu quasi factæ punctiones, mammarum flacciditas, & alia propullularunt.

Causæ prægressæ disponentes, inter quas partus gemelorum longe difficillimus, primiparæ vterum insigniter de cono suo deiiciens, facile primas tenet, alias, paulo post memorandæ, concinunt.

SIMI-

SIMILITVDO quoque affectum a nobis indicatum clare satis manifestat. Omnes enim fœminæ, molam vtero gerentes plerisque, si non singulis, cum nostra affligi symptomatis, & obseruationes testantur sexcentæ, & vnanimis obstetricum cum medicis consensus.

Disquisitione dignum, quam rerum p. n. classem augeat mola? Ut ipsa moles pondere molesta ad causam morbificam spectat, ita optime referri potest ad tumores, excrescentias, & suo modo ad obstructiones quoque, inde productas.

Morbum in numero quo minus asseramus, obstat, quod plane non sit pars corporis, continua vasorum & operum communione cum reliquis gaudens, & reliquo corpori continua; sed solum contigua, & ad tempus, æque ut fœtus genuinus, ad perfectam usque maturitatem, gestetur vel gestari debeat: (hoc enim mola cum vero fœtu fere commune habet, qui & mortuus iisdem cum mola symptomatis fœminas excruciat:) quod de morbo in numero, excedente, cuius insimul formale est, ut pars aliqua corporis ordinaria ab ortu adsit superflua, nutrimentique communione cum reliquis ordinarie fruatur, dici nequit.

Symptomatibus retentorum secundæ classis p. n. tum ratione mensium, tum toto genere, saltim secundum quid talium, cum ad aliquam partium s. n., carnosarum scilicet vel fibrosarum, referri mola possit, si quis accensere velit, cum eo non multum litigabimus.

Quantitatem molæ continuam, seu magnitudinem fere designat tumoris, fœtum perfectum magnitudine æmulantis, amplitudo. Figuram eam coniicere

B

licet,

licet, qualem moles abdomini sese anterius obvertendo offert, accedere scilicet ad globosam. Qua quantitatem discretam, non nisi vnam adesse & ægræ & contractantium confessio euincit.

Affectus autem hic diuturnitate magis, & continua quasi linea grauando molestus, lente vires exhauiens, & opem neque iucundam, neque citam, neque adeo tutam admittens, consectarie magnus satis est.

Malignitatis licet expers sit, admodum tamen refractarium probant circumstantiae non vnae. Chronicum esse, ægram quippe nostram per triennium afflixit, (alias per 12. 15. 17. alias per 20. annos, alias per omnem reliquam vitam molas gesuisse legimus,) vltro apparet.

SUBIECTVM PRINCIPALE morbi in gynaecia sua iam constituti est ipsa vteri cavitas, commune, idque solum ordinarium tam veri, quam spurii cuiuscunque conceptus, receptaculum; ADÆQVATVM vero ovarium quoque cum suis tubis, nec non vasis vterinis singulis, non exclusis glandulis ipsis.

Afficitur autem uterus, in concreto, cum pertinentibus ad eum partibus ac succis, spectatus, per essentiam, seu, ut verbo nos expediamus, tota vteri fabrica, & quævis eius partes suam suo quæque modo symbolam ad vitiosum conceptum contulerunt, quod ex causarum inter se collatione mox fiet manifestius.

Causa ergo IMMEDIATA est ~~διατυχίανς διαπλάσεως, error formationis,~~ seu, ut accuratius rem exprimamus, Archei frustratio seu aberratio in ovo vitali huma-

humanitatis charactere sigillando , quam deinde non vitiosa quoque digestio ac maturatio , siue conceptio, sequi non potuit.

Hanc vero Archei deviationem commode arcessere possumus a CAVSA MEDIATA PROXIMIORI, contagie seminali imperfecta , vel illata, vel concepta, siue vaporem ad Harueii , siue humorem, ad Galeniconrum mentem, vitiosum hic accusemus simul , res eodem fere recidit , non enim τὸ οὐνούν, vel πίστην, sed τὸ πόνον hic spectandum, alterutrius coniugis culpa accidente.

Vti enim conceptio s. n. fit contagii seminalis, i.e. spiritus illius penetrantis , peculiari fermento insigniti, quem γόνῳ virilis halat, beneficio , dum is feruente genitalium pruritu in aruum muliebre , non minore, sed tamen familiari ac harmonica eundem suscipiendi vredine pollens , effusus , non totum modo vterum perfundit vndique; sed & ad ouarium delatus in ouo inibi contento quiddam coagulationi seu concretioni simile patrat, ipsumque ad secessum ab ouario disponit; ita simile quid , sed præternaturale hoc casu fit.

Non laudabimus hic, mercurium fumo Saturni coagulari , & quæ laudant nonnulli experimenta alia, optimam analogiam, in alio genere licet, possumus concipere oui subuentanei exemplo, vbi præsto sunt albumen & vitellus nutritioni nulli destinata, sed sine charactere vitali , non prolificæ.

Satis est, deficere in conceptu hoc spurio ideas formatrices , quibus diuinum generationis opus absolvitur, vnde velut affectatum opus , iners manet ac frustraneum ; indeque congesta rudi mole non hominem sed

molam consurgere morbosam, aberrante plane & frustra
id moliente natura. Hinc modo sanguis coit eccentricus,
& mentitur spem vteri: modo ouulum degenter hydati-
de m quasi maiorem effingit, modo textura fibrarum va-
forumque carneam, magis vel minus duram, massam,
vnam vel plures, non leui cum latitudine, frustra ta-
men omnia efformat, citra humanæ imaginis formam
vllam, sibi scilicet relicta mola.

Quod ad Veterum placitum, semen viri $\kappa\alpha\lambda' \circ\gamma\kappa\sigma\tau$
conferre ad conceptum, quidam inde probare ho-
dieque sustinent, quod affusus virili spermatis spiritus
vini rectificatus coagulum quoddam, oui gallinacei
paucorum dierum conceptui consistentia plane simile,
exhibuisse visus fuerit. Sed admodum debilis & in-
firma est hæc inductio.

In præsenti vero p.n. statu quid asserendum, &
cuinam coniugi noxa potior sit tribuenda, definitu ex
circumstantiarum defectu admodum est difficile. Si
saniorum practicorum obseruationes consulamus,
vtrumque coniugem in culpa esse posse, uno fatentur
omnes ore. Maritum quidem, si ebrius, senex, vel
alioqui debilis minusue habilis ac dispositus æque ad
sufficienter explendum maritæ desiderium, vel mox in-
stante, vel præsente, vel nondum omnino finito men-
struali vxoris tempore Veneri litet. Fœminam vero, si
obesa sit: si lascivior iusto, nec satis tamen ipfi a ma-
rito fiat; (quod in nostra locum habere, ex laudabili
corporis habitu subolere quodammodo licet:) si affe-
ctibus animi grauioribus, iisque tristioribus, nimis in-
dulgeat: si a prægressis partibus difficilioribus Ar-
chus

cheus vteri detrimentum ceperit , quod & nostra experta fuit , e quibus causis molæ productionem deriuat
Cardilucius offic. sanit. p. 703.

Tacemus , occultam sæpenumero adesse posse & solere causam , quam laudare liceat partim scorbutum , partim μίασμα & fermentum venereum , vnde μόλυνσις , etiam hoc loco a veteribus laudata , contingere afolet , inquinata & peruersa ~~καρκίνος~~ seminali .

Hinc enim contagio , seu spiritu , infirmato vel inquinato , debitam ac sufficientem idearum archealium applicationem , impressionem , euolutionem , verbo , fœtus effigiationem lubricam reddi ac breui euanscere necessum est , indeque tentari quidem eandem ; sed confusam , informem partium διάθεσιν , rudem primorum tantum staminum , fibratum puta , vnde caro quædam membranacea exsurgit , vitæ animalis ac motus omnis proprii expers , vasis vtcunque instructa , compagem contingere , quem deinceps conceptum spuriū firmior cum vtero cohæsio & qualecunque augmentum consequitur .

Et hanc , nempe aut humorum iuxta veteres , aut contagii , seu halituum genitalium vtriusque sexus congregientium , vel harmoniam seu proportionem , vel illegitimam inter se habitudinem ac dissensum , veram & genuinam tam genuinæ , quam vitiosæ coagmentationis causam , eamque propinquiores esse ; indeque & plurima cuiuscunque fere generationis phænomena , & ipsos etiam morbos hæreditarios , explicari posse , & affectus quoque nostri essentiam , essendique modum , clare satis hinc patere , quodammodo colligere licet .

Galenorum placitis stantes semen masculinum, idque debilius, cum muliebri impuro, pituitoso, crasso, aut humore biliose nimis adusto ac figente infecto, vel iuxta alios, sanguine menstruo minus laudabili, concurrens, accusant, vnde partium distributio, formatio, ac articulatio in rudenti ac indigestam eiusmodi laudatam molem degeneret.

Cui, *Paracelsis* nitenti hypothesis, conceptio-
nem naturalem ex halituum mercurialium cum salinis,
quibus particulae sulphureæ oleosæ balsamicæ se immi-
scerent, quos singulos phlegma spermatis spumosum,
tanquam vehiculum, spiret, legitimo ac decenti; fatu-
am vero ex inordinato & confuso, quin & quibusdam
abundantibus vel deficientibus, concursu oriri afferere
placeat, ei litem non mouebimus.

*Helmontii lib. form. ortus t. 63. seqq. p. 116. l. mort. intr.
in vit. hum. dec. virg. t. 17. p. 514. & l. flux. ad gen. p. 582. se-
quentes castra, in omni generatione legitima & naturæ
coformi, præter aptam materiam & interni caloris fo-
tum, requirunt tenue, splendens, nitensque lumen,
quod Archei auram, proximam vitalitatis causam, vo-
cant, idque specifica cuiusvis animantis quidditate &
odore ex Creatoris voluntate prægnans determinare
materiam ad hoc aliquid esse entiale. Hinc lumen istud
fermento peregrino immersum vel inquinatum, & si-
gnatura domestica competente, seu characterismo &
mentis sigillo, i. e. hac vice, figura humana destitutum
molam monstrumue proferre.*

Mittimus, quæ ex *Sylviana* hypothesi de bilis
cum succo pancreatico effervescentia etiam ad functio-
num

num genitalium perturbationem, & molæ quoque productionem, laudari queunt, in primis, si pancreas succum acore peregrino exorbitantem progignat & conferat.

Corpusculari physicæ mancipatis forte luci, vnde viventium formæ ac vita promanant, corruptas ideas ob turbatam pororum ac effluuiorum, pro efformanda hominis figura, inter se habitudinem, ordinem, magnitudinem & symmetriam producenti, culpam tribuerre arridebit.

Peculiarem sententiam de mola habet *P. I. Faber curat. 79. p. 731.* vbi statuit, fieri a solo semine muliebri, ex sola imaginatione concubitus in uterum delato, esseque monstrum, vi & potestate muliebris imaginantis productum, vbi plura habet, sed minorem meritus assensum. Enim uero imaginationem multum in hoc negotio posse, ad linearem mechanicam fœtus immutandam & peruertendam, vt non negatur: ita contra naturam est & sanam rationem, posse hominem a sola fœmina, quacunque imaginatione, concipi ullum, & quasi talem, seu spurium in homine fœtum.

Ex CAVSIS REMOTIORIBVS ad molæ γενέσιν conferentibus non præsto quoque sunt nullæ. ENATURALIVM censu primitus se sifit TEMPERAMENTVM, quod vel totius, idque in nostra sanguineum ac laudabile, in libidinis excessus & inde resultantes noxas, primum: vel partis, conceptui dicatae, h. e. uteri, quod quidem robore vegeto per laboriosissimum gemellorum & secundinarum, eumque primum, enixum, quo membranæ uteri teneræ, neccum fatis fitmatæ, tam insignem ditaten.

stensionem sunt passæ, spoliatum, sicque eiusdem præses Archeus infirmatus non parum fuit: vnde & commissum forte in venereis sacris errorem corrigere non valuit. Imo non dubitarim afferere, difficiliores partus ad molarum generationem maxime, si quidquam, vel leui accidente lapsu, disponere posse: quod vero ratius id eueniat, vel naturæ valori, vel medicorum aut obstetricum, imo propriæ quoque curæ adscribendum erit.

ÆTAS ægræ nostræ talis est, qua menstrua sunt copiosiora, & partes pudendæ in libidinalis œstri vigore constitutæ: vnde facilis in nimia cupidine error, & Archei deuiaatio.

De NONNATURALIBVS cum ægræ nostræ historia plane sileat, & nos ori manum imponere iubemur. Ex PRÆTER NATURALIBVS palmam hic facile reportauerit, quem iamdum accusauimus, partus difficilis, in primis secundinarum, hæc enim vel reliquias ponere, hinc augmentum capere & in informem molem fungi more sensim excrescere potuerunt, nullo secutis duobus partibus obstaculo: vel, quod violenta earum extractio veteri tono notabilem languorem attulerit.

Causas ergo fusijs hactenus deductas molestissimam molæ molem cum satellitibus symptomatis, e quibus morbum antea cognoscere licuit, in tanta farragine procudisse, nil mirum.

i. *Tumor* scilicet est durus, quia mola colliquamento non innatæ, vt fœtus; sed caro quasi nuda est: globum emulatur, hæc enim naturæ est facillima, eamque in mollioribus subiectis corpulentis præsertim ubique

que magis affectat : nec nisi ad ægræ situm, vel manus contrectantis arbitrium, mobilis est, ac per se indolens, cum confusum, informe, deses ac vitalis luminis expers sit chaos, spiritibus orbum, vnde &, quaquersum commotum corpus ac vterus trahit retrahitque, veluti truncus, sequitur : augetur tamen, & ob firmam cohæsionem & vasorum quorundam in id deriuationem communi cum vtero nutrimento fruitur: quin idem in se audius hauriendo matricem suo defraudat genio: imo, nisi obuiam eatur mature, metus est, ne in amplum aliquod pondo pondus excrescat.

2. *Ordinarium gestationis spatium mola bœc multum transgressa est*, cum vtero non, vt gratus arbori fructus, adhæreat, qui suo tempore matus secundinis tanquam pediculo se soluit, ac sponte decidens colonum parenrem grata messe exhilarat; sed veluti fungus firmiter agglutinatur, qui, non nisi ferri acie matrem infausto ac inutili suo pondere liberandam, minitatur.

3. *Mensium parcius & inordinatus fluxus*, hinc plane suppressus, adest, ob œconomiam genitalem, seu, dispensationem sanguinis pro vero fœtu, læsam. Concepitu enim iuxta legitimum naturæ ordinem facto stant menses, ac sanguinis illius alioqui secernendi, post præuiam quandam præparationem, pars in secundinarum constitutionem, & colliquamenti ac puncti salientis nutritionem & singulorum augmentum, auctis indies vasis sanguiferis, pars paullo post in lactis materiam impenditur. Hac vero distributione læsa, nec omni sanguine ob vasorum conceptus paucitatem, ac debiti incrementi defectum absunto, necessum est, eius portionem ut-

C

cum-

cunque per muliebria excerni, portionem vero versus sanguinis fontem & respirationis organa regurgitare, &, cum debitam attemperationem ex naturæ legibus non acceperit, concepta prauitate

4. Φλογώσεις ἐπ̄ precordiorum angustias crebriores, more alias retentorum p. n. mensium, parere; acrimoniā enim tunc stagnans, retentus, & ad congrumentiam vergens induit simul maiorem.

5. Lancinationes in lumbis, pube, dorso, dolorificas partim iisdem causis, stagnationi scilicet sanguinis circa vterum, indeque productis tensionibus, (in suppressis enim mensibus tota die simile quid deprehenditur;) partim ignavo pecori, ad quemuis matris motum horsum versus iactato, & simul tenera, nervosa ac membranosa vteri ligamenta hinc inde adnata diducenti ac dilatanti adiudicantur.

6. Mammarum flacciditas aliquotis vicibus a nobis accusatam œconomiæ genitalis turbam agnoscit matrem, partim, quod lactis materia, σφέγωσιν, turgentiam alias effectura, vel non adducatur, vel non recipiatur, vel cum mensibus vt cunque excernatur: partim ob insignem caloris natiui mammarum ac vteri συμπάθειαν & conformitatem, qua alterutro languente & alteram quoque non defatisci non possit. Quodque suppetit partibus hisce, humidum serosum & iners magis est.

7. Appetitus nibilominus & functiones aliæ, naturales puta & animales, satis abhyc sibi constant; quod tum insigni naturæ robori, labem istam hucusque intra partium verendarum cancellos ineludenti, tribuendum; tum,

tum, quod functiones istæ genitales diuisas penitus operas, diuisis partibus, exerceant. Hinc & hæ saluis illis labascere, ægræ nostræ, & sodalium plurimarum, imo plane feriari, virginum, & vtero carentium: & illæ incolumibus hisce, hypochondriacarum & scorbuticarum exemplo, quæ commode satis, quin eo tempore saniores, suos gerunt fœtus, vacillare possunt. Metus tamen est, ne diutius protractum malum altiores agat radices, & vires tandem quoque prosternat.

Quid vero rebus sic stantibus de ægra nostra futurum arbitremur, edifferendum venit. Ad SALVS an MORS nostræ immineat, quæsiti, tantum abest, affetum, licet pene incurabilem, lethalem nos censere, ut potius, exemplo plurimarum molarum, οὐγκατηγεάσσοντος καὶ ουναπαγενέμπον, cum curatio morbo sit grauior, eundem pronunciemus.

Enimuero id arguere licet (1.) quod vnica tantum sit mola, Hippocratis locis supra citatis, & Aristotelis l. 4. de gen. anim. cap. 7. fulmine: sitque (2.) insimul ea grandior & durior, quam ut fœtus instar ad angustum interius vteri orificium aptari, idque transire possit: quare, ne detrimentum illud accipiat, metuendum. Præterea (3.) adest tenax & arcta, quam præter triennalem gestationem tot lancingiones & ligamentorum hinc inde distensiones confirmant, cum matrice connexio, cuius hinc rupturæ & diuulsioni, abortu longe grauiori, non nisi periculosisimam hæmorrhagiam, & huic alia grauiora, superuenire posse statuendum est, siquidem vitæ certitudinem cum mola, incertæ saluti, eadem ablata, præferre velit:

C 2

Sin,

Sin, vel cum mortis discrimine, infausta sarcina liberari quam misere vitam omnem reliquam ducere, ac anceps remedium, quam nullum, experiri malit, exemplis maxime aliarum æque grauiter afflictarum, perita tamen medici manu feliciter restitutarum, animata, naturæ robore & candida in medici dexteritatem fiducia, quæ sæpe curationis dimidium absoluit, nixa, curæ se subiicere decreuerit, ne in eius salutem timiditate nostra inofficiosi aut iniurii videamur, implorato diuino auxilio, ac obseruatis diligenter obseruandis, de salute, virium valoris, & cæterarum functionum integritatis intuitu, meliora speramus.

LONGITUDINEM & BREVITATEM ex dictis clare patere remur, morbum istum, quippe triennium iam egredsum, cum vita fore desitum; sin curam subire animalum ægra induxit, eaque Deo benedicente feliciter cesserit, medicus quidem omnem possibilem opem polliceri potest, non aliter tamen quam *εὐδοιασών*, interim vero etiam prouidam, vt si iuuare non possit, saltim non noceat.

MODVM EVENTVS MORBI, siquidem ægra sarcinam suam gestare perrexerit, prædicimus hydropem, vel fluorem album immedicabilem, meatibus menstrualibus sensim obseratis, atque hinc sanguine magis magisque vappescente & in ichorem saniemue verso, vaseque lymphatica rumpente, vnde tandem partium reliquarum tonus labascit, in deterius ruit, & ad humanæ infirmitatis metam properat. - Sin curationem feliciter obstetricante natura superauerit, cum causa adsit **continens ac fouons**, qua ablata morbus cessat, pristinum

num sic satis laudabilem redditum membris vigorem, licet non sine vteri *ευγενεσίᾳ* vel procliuitate ad reciduam, aut abortum, vteri prolapsum, vel herniam inguinalem, nisi sedulo sibi cauerit, nulli dubitamus.

Subuenturi itaque opem nostram imploranti medicam ægræ, ad eam, sed cum Hippocratici præcepti obseruantia, ἡ μὴ, ἡ πρέπεια, prævia scilicet periculi coniuncti denuntiatione, quibuscunque adminiculis, tanto audaciores & propositi tenaciores, quod conceptus huius fatui gestatio naturalem quadruplum iam excesserit, sine ulteriori mora nos accincturi, tanquam Mercuriale statuam legitimam MEDENDI METHODVM nobis præfigemus, quæ INDICATIONIBVS suis, curatoria, præseruatoria, vitali, totidem quasi brachiis aut candelabris radians, perspicue monstrat ineundam semitam.

CVRATORIA toto genere p. n. rem, *αδιάπλαστον σώμα*, *carnem informem*, conceptum nempe spurium quantocuyus exterminare iubet, non tamen nisi aurigante & velificante natura. Ancillatur huic PRÆSERVATORIA, quæ, ne regeneretur, causas antecedentes, coniunctas & consequentes remouere, fluxumque menstrualem, qui rei cardo est, studet in ordinem reducere.

Modum quasi his indicit VITALIS, viribus tam in actu curationis, ubi maxima earum necessitas ac deperditio, quam præseruationis, & toti maxime prospiciendo, & utero roborando, quantum possibile, ut si curatio perfici renuat, saltim vitæ incolumenti studeamus.

Vt voto ergo damnemur, præsidiorum materia nobis opus est, quam ubere cornu suppeditant chirurgia, pharmacia, bonaque vietus ratio.

CHIRVRGIA hic vere generosum illud subministrat auxilium VENÆ SECTIONEM, eamque, cum ægræ vires concedant, sanguineque sic satis abundet, vel largiorem, vel, si commodius visum fuerit, repetitam, quo fatuo concepui nutrimentum subtrahatur, isque sic gracilior reddatur, ac dehinc angustiori via excludi possit, & hæmorrhagia grauior præcaueatur. Largior si præferatur, eaque vnica, celebrari potest in saphena, cuius apertura menses insigniter cieri, vterumque expurgari, uno fatentur omnes ore practici. Mitti possunt vnciæ iv. v. vi. viii. pro ægræ tolerantia. Si crebrior V.S. præferatur, successiue pluribus in locis instituatur, v. gr. in eadem saphena, vena pollicari, imo & in cubito, vñilibet ad ʒii, iii, imo iiij.

CVCVRBITVLAS SCARIFICATAS & SICCAS femorum domesticæ seu interiori parti ac suris, imo & Hippocratis ll.cc. consilio, ὅποις εν αὐτῇ σκύψην πεστεῖλλεν τοὺς τάχεις κενεῶνας, οἷοι ἀφαιρέειν ὅπι ταλαιπων αἷμα, retro ipsi cucurbitam adbibere ad laterum molitudinem, & detrabere quamplurimum sanguinem, iuuabit.

HIRDINIBVS, si venæ sint profundiores, aut ægra αἷμα φόβεται, locus erit in suris & pedibus. Neque Hæmorrhoidum apertio, quarum fluxus, Hippocratis in Coacis elogio, in mensum obstructione insignis est utilitas, hic similiter fructu carebit, eodem scopo, vel internis potius procurata.

FONTICVLVM vt peracta curatione, ad diuertendum & refrenandum exorbitans, & ad vterum ruens, serum & recidiuam, hinc præcauendam, & alia incommoda, in brachio gestet, pro re nata suaderi poterit. Sed,

Sed, cum malum, triennali iam radice dubio procul plurimis fibris firmatum, remediis tum recensitis chirurgicis, tum recensendis pharmaceuticis, stirpitus exigere vix licere metus sit, viata tamen, detracto pecudi fatuæ pabulo, ad eliminationem aliqualem, eamque indemnem, sic factam esse satis planam, penitus confidimus.

Suffecerit corpore, præmissis insimul euacuationibus vniuersalibus, ad deplendum conceptum & salurram mobilem, ad notabilem molis inutilis alleuiationem legitime præparato, commode exhibere emollientia, hinc & moderate stimulantia, interna & externa, quo fibræ, quibus adhæret, emoliantur & laxentur, viæ amplientur, sicque separatio citra grauiorem læsionem inuitari possit.

Cæterum, quæ vulgo de molæ EXTRACTIONE manuali solent cogitari, scribi, vel disquiri, cum grano salis debent accipi. Enim uero in genere de ea vix cogitandum, neque ad modulum extrahendi fœtus mortui ex viua matre hoc casu & que argumentandum. Vnde & exempla vel nulla huius operationis obuia, vel rarissima inuenias, nec illa & que fortunata.

Quod si vero natura ad excretionem, seu parturitionem vel quasi, se accingat, si præuiis doloribus eidem analogis dilatentur viæ, & porta patula obstetrici accessum perscrutandi statum internum molis peregrinæ concedat, id sane merito concedendum est. Ast nihil temere tentandum, nec sine consilio medici, præterquam, ubi indicatio adest separandæ & liberandæ molis mobilis, ut tuto saltim idem fieri possit, subueniri poterit quo-cunque tuto modo; nil vero temere præcipitandum, ne irrita-

irritatio grauior noxam præsentaneam post se trahat, vel vteri, vel totius corporis reliqui, alias vero nequam, & nunquam temere.

Ex PHARMACEVTICO fonte methodo consueta vi-
semus loculos, vnde pro indicationum modulo depro-
mi queant necessaria. Sic

LENIENTIA, quæ primas vias expediendo, sanguinem purificando, vteri viciniam lubricando, leniterque humectando, archeumque leniter ad egerendum sibi moleustum inuitant, eximiam locabunt operam, v.gr.

Rx. Θ is digest. hepat. rubri a. 3*B.*

gial. resin. g. viii. eleofacch. sabin. g v.

M. S. Digestiv-Pulver.

Rx. ele&t. lenit. 3*i.* feculæ ari, bryon. a. 3*B.*

spec. diafen. terr. ① dulc. a. 3*i.*

sir. de cich. c.rhab. q. f. M. F. Ele&t.S. Laxier-Gafft.

Rx. M. ♀ car. Schrœd. aloeticar. a. 3*B.*

extract. croc. sabin. troch. alb. a. gr. iii.

M. F. c. elix. P. P. Pilulæ instar Francof.

PRÆPARANTIA purgantibus præmitti solita non ne-
gligantur, iis enim non viæ solum disponuntur, ac
meatus ad commodiorem secretionem panduntur; sed
& humoribus ipsis stagnantibus ac incrassatis, ex inor-
dinato parcoque mensum fluxu ad vterum decumbere
suetis, sequela obtingit expeditior ac facilior, quo hinc
purgantia fortiora tanto minore cum molestia exci-
piantur.

Rx. \square domin. Myns. 3*i.* fænic. 3*ii.*

elix. uter. Croll. 3*i.* mixt. simpl. 3*ii.*

sir. de fumaria, melissa a. 3*iii.* M. D. in fictili. S.

Weich-Tränklein.

Rx. ▽

Rx. □ puleg. cerefol. melissæ c. vino a. 3*i.*

bez. 2*f* 3*i.* fir. aperit. Mind. 3*ii.*

elix. propr. Ræ ɔ*is* asinth. a. 3*ii.* M.

PVRGANTIA sequuntur ipsa, quæ actiuitate sua insigni inter vniuersalia fere primas tenent, perinde enim colluuiem, fecalem in intestinis, ac serosam in renibus & vesica, nec non vtero quoque contenta laccessunt, ubi obstaculum repererint, siue per aluum eadem solam operentur, siue etiam *ανωγεικα* sint. Hinc eorum plures foetus viui, sed noxie, mortui; maturi, immaturi, menses tardantes, secundinæ remanentes, molæ, eorum ope rejectæ, dudum probarunt, sed cum prudentia & μετ' ασφαλείας adhibenda, ut omnia.

Rx. pulu. laxat. veget. 3*i.* polychr. Rolf. gr. vi.

ꝝ dulc. cinnab. nat. a. g. iii. elæosacch. sabin. g. ii. M.

Rx. conseruæ ros. mannat. 3*ii.* res. gial. scamm. a. gr. vi.

crystall. ♀ 3*l.* gr. iix. sacch. q. f. M. F. Bolus.

Rx. extracti cathol. pulu. gialap. nigr. a. 3*ii.*

ol. anis. gtt. ii. eff. sabinae q. f. M. F. l. a. Pilulæ.

VOMITORIA maiorem adhuc de se spem faciunt, menses quippe potentius prolixiunt, & tanquam veste infaustam molem exutiunt, aut ad minimum fibras connectentes notabiliter laxant, liberioresque reddunt, quo hinc maior ad excretionem contingat dispositio.

Rx. conseruæ fl. fumar. calend. a. 3*ii.*

rosæ vitæ min. g. iii. M. F. Bolus.

Rx. ♀ ri resolut. 3*ii.* emet. gr. iii.

M. F. puluis D. in Ch.

Rx. □ puleg. matric. a. 3*ii.* fir. acetos. citri. 3*ii.*

Θ ~~eli~~, rad. ipecac. a. 3*ii.* M. F. Haustus.

CULTSTERVM tum emollientium, quorum usus cum
balneis alternus esse potest, tum purgantium, maxima
est utilitas, tum ad lubricandum & laxandum vicini-
am, tum stimulandum.

Rx. herb. malvae, alth. artem. mercurial. a. mi.
flor. chamom. m. genista pii.

Coque in lacte vaccino, Col. f. add.

oo verbasci, lilior. alb. mell. anthos. a. 3*B.* vit. on. n. i.

M. F. l. a. Clyster.

Postquam hic officio fuerit functus, & eius abdomini
loco cataplasmatis imponatur.

Rx. rad. ebul. bryon. lil. alb. a. 3*B.*

fol. artem. abrot. melisse. a. mi.

asari m. summit. matric. a. pii.

sem. feni Gr. 3*iiii.* anis. fenic. a. 3*i.*

coccyntb. in pet. lig. 3*B.* Coque in iure carnis
salito: Colat. Rx f. i.

elect. hierae c. agar. lenit. a. 3*iiii.*

oo cheir. 3*vi.* laur. 3*iiB.* O. Oati 3*ii.*

borac. 3*i.* M. F. l. a. Clyster.

DIAPHORETICA, licet naturae motum ad veterum vi-
deantur intercipere, & ad corporis habitum declinare;
nihilominus cum pleraque, penetrantiora praesertim ac
volatiliora, non discutiendi modo & obstructa aperien-
di; sed & impellendi, nec non grumescentiae sanguini-
nis, putredini atque cachexiae apprime obsistendi, ac
spiritus exsuscitandi; fixa vero & media, prater eas-
dem vires, licet debiliores, simul roborandi virtute
olleant, insignis utrumque pro re nata erit usus.

Rx card. ben. bez. Ruland. ceref. a. 3*B.*

R. bez. 3*i.* ~ Olis *c. 3*B.* C. C. succinat. 3*i.*
ess. myrrae 3*B.* fir. cert. citr. parum. M.

Rx R.

- Rx. Rx bez. Mich. 3i. effent. myrrb. succin. volat. a. 3*lb.*
 Θ vol. succin. 3*g* ii. ol. citr. ver. gtt. i. M.
 Rx. C.C. Phl. ppi. 3*lb.* Θ vol. C.C. vīp. fl. *ci. a. 3*lb.* M.
 Rx. M. S. rectif. 3i. elix. vter. Rolf. 3*lb.*
 ~ Θ l. *ci 3i. ol. caryoph. gtt. ii. M.
 Rx. pulu. bezoard. Senn. fl. ♀ myrrb. a. 3i.
 bez. 4*lb.*, lap. de Goz a. 3*lb.*
 cinnab. nat. g. vi. M. F. l. a. pulu. D. pro ii. dosibus.

DIVRETICA serum ad vterum ruens intercipere, stagnans per vias ordinarias educere, vias menstruales referare, atque insimul ob viciniam incitare elaterem vteri apta nata sunt.

- R. □ cerefol. 33. ♀ ri resolut. 313. M.
R. specierum ad molam Timaei l. 3. ep. 40.
infuantur nodulo. S. öffnende species zu 2. Kan-
nen Wein.
R. pulu. hyft. Timaei in cons. p. 424. Di.

PARTICVLARITER EVACVANTIA multum quoque sub-
sidii afferunt, maxime vero omnium quae de mab-

STERNVTATORIA s̄epissime præsentaneam præstant opem, locumque inueniunt, (1.) prouocatis prius parturientium doloribus, (2.) nares simul comprimendo, dum fit sternutatio.

- Rx. pulu. cubeb. subtil. fl. lil. conu. a. 3*i.*
oo maior. gtt. i. castor. gr. i. M. F. puluis.

ACIDVLAS martiales, nitrosas, sulphureas, vel na-
turales, vel artificiales ipsas quoque, utpote insigniter
aperientes & abstergentes, nostræ commendamus
quoque non immerito.

ALTERANTIA, simulque obstructionibus viscerum
occurrentia, mensesque ordini suo restituentia, erunt

quoque necessaria, nee eadem omni pellendi virtute destituta. PELLENTIA ipsa his succenturiantur, archeum, sicubi indicentur, ad expulsionem dispositum animalia paulo fortius.

Rx. pulu. cacheſt. Rolf. 3i. trocb. de myrrha 3ii.

borac. Ven. caſſ. lign. a 3B. croci 3i. M.

Rx. croci ♂ aperit. cum Θibus 3i.

boracis Ven. ppulu. sabine a. 3B. croci gr. v. M. F. Pulvis.

Rx. Ra ḡis hellebor. 3ii. ~ ♀ ri cochl. a. 3B.

elix. vterini 3ii. M. Dosis gtt. xxx.

Rx. pulu. ad partum Wedel. 3iB. cerebr. tuberon. 3B.

myrrhæ elect. test. equ. præp. a. 3B. M.

Rx. pulu. secund. hum. fol. sabine, trocb. de myrrba a. 3i.

boracis g. xv. castor. 3B. M.

Rx. ~ secund. hum. 3ii. eff. sabine, myrrhæ bals. a. 3B.

elix. vter. Croll. 3i. M.

Rx. effent. sabin. succin. volat. a. 3ii. elix. propr. rubri 3i.

ol. sabin. croc. gtt. iv. M.

Neque EXTERNA adhibuisse fraudi erit, hæc enim itidem ob penetrationem, & peculiare vtero amicum fermentum præsentaneum ſæpe emolumentum attulisse leguntur. Inprimis hic conuenient BALNEA, ex emollientibus, resoluentibus, diſcutientibus, aperientibus concinata, quæ egregie emolliendo, demulcendo lubricando, vias dilatando apprime proderunt, v. gr.

Rx. ſpec. pro balneo ad mens. ſuppreſſ. Mynt. vel

Rx. herb. 5. emoll. a. mii. artem. meliffæ, matric. chamap.

puleg. beton. chærefol. menthæ Sarac. pol. mont.

flor. chamæm. Rom. horminis, ſtæch. Ar. a. mi.

ſem. lini, anisi, fæni Gr. a. 3i.

rad. bryon. arist. vtr. lil. alb. valer. a. 3vi. M.

VNGVENTVM abdomini, & in primis hypogastrio, inguinibus, pectini, illiniat:

-QOP-

Rx. un-

Ex. vnguenti dialth. 3*i.* pingued. castor. 3*B.*

o amygd. d. til. alb. chamæm. a. 3*ii.* croci g. vi. M.

Emplastrum matricale Aug. vel Myns. vel eiusd. empl. de galbano crocatum post inunctionem adhiberi potest.

CATAPLASMA post molæ extractionem habet *Hil-danus pag. 987.* hic commodissimum.

SVPPVRATIONEM molæ, vtpote medicinam infidam ac omnium periculosisimam, cum vix intra limites humano ingenio coerceri possit, tantum nos suadere abeat, vt potius, etsi omnia recensita præsidia pharmaceutica sint frustranea, basis etiam nimis lata seu ampla ab excisione manum de opere ponere iubeat, totum negotium naturæ, miracula sæpicule patranti, committendum, autores simus.

Restat, vt paucis delibemus quoque **DIAETAM.** In **VITALI AERI** studeat puriori, temperato, in cubiculo minus lucido, ne spiritus nimis disagregentur ac resoluantur, hæmorrhagiaque grauior concitetur. Vitetur mora sub Ioue frigido, & solis aut lunæ radijs.

In **NATURALI VICTVS** sit aperiens, resoluens, spiritus refocillans, & simul humectans. **CIBVS** sit bona notæ, digestu facilis, panis nempe ex flore farinæ probe fermentatus, carnes auium montanarum, domesticarum iuuicularum, oua sorbilia, iura ex vino, ptisana auenacea, &c. aromatibus, v. gr. saluia, roremari major. rad. petrosel. cinnam. macere, N.M. cardam. conditatur. Vitet leguminosa, viscosa, flatulenta, verbo, obstructionibus generandis apta nata.

POTVS sit cereuisia fecibus libera, probe tamen fermentata, vinum flor. cheiri, anthæs, vel zedoar. medicatum, idque ὀλιγοφορόπερον. Neque peccetur cibandi ordine, modo, tempore, quantitate.

In **EXCRETIS** aluina, menstrua, & reliquæ purgatio-

30 DISSERT. IN AVGVR. MED. DE ÆGRA MOLA LABORANTE.
gationes quotidie rite succedant; sin restitent, ad fru-
gem sine mora reducantur cuilibet appropriatis re-
mediis.

In ANIMALI SOMNO magis indulgeat, sic enim
& doloribus & hæmorrhagiæ metuendæ succurritur, sic
& animi motus diutius persistunt tranquilli, & consolatio citius erit exspectanda.

MOTVS, ab excretione molæ cuiuscunque, inferiorum
præsertim partium, quantum fieri potest, primis maxime
diebus, caueatur, post sensim corpus exerceatur. Alias,
præsente adhuc mola motus quidem commendatur,
isque fortior, præsertim saltus, ipse; sed anceps est
euentus, & facile noxa grauior inde citari potest.

ANIMI PATHEMATA modum teneant. Libidini
non nimis indulgeat. Mœroris & iræ frena, quantum viri-
bus valet, contrahat. Verbo: animo sereno
semper det operam.

SOLI DEO GLORIA.

Mentitur fœtum, nec raro
spem mola fallit.

Non fallit virtus, sed bona certa
refert.

Faustæ gratulationis ergo
scripsit

Io. ADOLPHVS VVEDELIVS,
D. & P. P. h. t. Academiæ PRO-RECTOR.

Tantæ

* (31) *

Tantæ molis erat , genuinam
condere gentem ,
felici auspicio , germine perpetuo .
Forma dat esse rei , cum maiestate
stupenda Cimicans .
numinis æterni , perpetæ forte
Ast informe quod est , spurium ac
ignobile germen ,
mortem , vitæ expers , accele-
rare solet .

tubene distinguis , vitalia rite tueri
solers , & contra , præmia digna
refers .

Gratulanti & benevoli voti ergo scrib.

P R A E S E S .

ESt mola corpus iners , cui vitæ lumen ademptum ,
quaꝝ Tibi sit laudis viuida materia .

Specimini Inaugurali
Clariss. Dn. DOCTOR ANDI
gratulabundus applaudensque scrib.

Jo. HADRIANVS SLEVOGTVS ,
M. D. & PP.

Et

* (32) *

Est mola fœminei generis fere pessima moles,
Decipit & jugulat tenerum sæpisime corpus.
Hocce malum docte tractas Clarissime Lanckisch!
Noxia sic aliis pariet Tibi pondus honoris.

*Nobilissimo & Clarissimo Dn. DOCTORANDO, Fautori
& amico estimatisimo, nouos honores gratulatur,
& fausta quevis appreccatur ejusdem Conterraneus
observantisimus*

Joannes Caspar Geimeinhardt,
Laub. Hex. M. S.

Virtus nobilitat. Famosa insignia Patrum,
Quæ virtute carent, nobilitate carent.
Stet sine fine decus croceum, quod tempora cingit
Docta, Tibi superet luce tropaea sua.

Hec

*Prænobilissimo Dn. DOCTORANDO de honoribus
optime meritis gratulaturus scribebat
deditissimus*

J. C. E. Jur. Stud.

Quos vigili dudum studio meditatur honores
Phœbus, iam confert grata Salina Tibi
Sit, precor, hæc patriæ splendori purpura, Patri
Latitia, ægrotis præsidioque tuis.

f.

Christianus Starde, Jur. St.

F I N I S.